

Ignacy Różycki

De Beatae Mariae Virginitate in partu

Collectanea Theologica 25/3, 439-467

1954

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

IGNACY RÓŻYCKI

DE BEATAE MARIAE VIRGINITATE IN PARTU

B. Mariam semper virginem fuisse fidei dogma est universali Ecclesiae magisterio stabilitum. Huius autem virginitatis perpetuitas tribus constat aetatibus: B. Maria fuit nempe virgo et ante partum et in partu et post partum. Methodologiae theologicae et semanticae fundamentales regulae exposcunt, ut qui agnoscit perpetuae virginitatis dogma et quo sensu illud agnoscit, agnoscat etiam, eodem omnino sensu, dogma esse et virginitatem ante partum et in partu et post Christi partum. Animadvertendum est statim non omnes theologos huic fundamentali exigentiae methodologicae conformari. Quod positione clar. Gabr. Roschini innuitur: hic ¹⁾ virginitatem in partu inter dogmata fidei computare non audet, quamvis virginitatem ante partum et post partum fidei veritates esse censeat ²⁾. Huic ancipiti opinioni unica tantum iustificatio esse potest: de virginitate in partu alio sensu disputatur ac de virginitate ante et post partum. Ex quo exemplo patet ad doctrinam fidei recte intelligendam omnino necessarium esse ut plures virginitatis acceptiones clare distinguantur.

Et quidem, virginitas quando in omnibus linguis proprie dicitur, de virginitate morali dicta intelligitur. Virginitas proprie seu formaliter sumpta in hoc enim sistit, quod excludit omnes, etiam licitos, actus voluntarios carnalis sexuum com-

¹⁾ Mariologia. Romae 1948, T. 2, pag. 255.

²⁾ ibd. pag. 246, 261.

mixtionis. Advertendum deinde est vocem „virgo”, quando-cumque proprie et simpliciter, seu sine ulteriore specificatione, dicitur ad hanc voluntariam carentiam actuum carnalis com-mixtionis limitari neque quidquam amplius postulare. Quando autem ad virginitatem specificatam significandam usurpatur, expresse dicitur: virginitas perfecta vel imperfecta. Patet igitur formalem seu moralem virginitatem duplicem habere gradum; praeter virginitatem simplicem, iam iam definitam, adest virginitas perfecta. Haec excludit non solum voluntariam copulam carnalem sed etiam omnes actus castitati contrarios. mere internis actibus non exceptis. Qui carnalem copulam vitat actibus tamen libidinis delectationibusque morosis indulget formaliter quidem virgo adhuc est, at imperfecte admodum.

Carnalis copula in feminis effectus corporales habet quorum alii immediati, alii vero mediati sunt. Conceptio, gestatio generatioque proles ad illos effectus mediatos pertinent, qui faciliter percipiuntur. Sed copula carnalis secundum naturae leges peracta introducit in corpus femineum sensim sine sensu quasdam etiam mutationes, quae non nisi post longius tempus apprehenduntur. Effectus immediatus vero hymenis virginalis laesio est, cuius integritas est communiter acceptum signum corporale et organicum virginitatis moralis seu formalis.

Hymenis integritas signum esse potest, quia eiusdem laesio faciliter et oculari visu probatur neque microscopico examine opus est; re vera est signum moralis virginitatis, quia carnalis copula secundum communiter contingentia seu per se integritatem hanc destruit. Quia signum hoc corporale est, materiae legibus subiacet neque omnino infallibiliter eiusdem laesio ammissam virginitatem moralem significat. Nam aliquando iam a nativitate imperfectum est; aliquando etiam non per copulam sed alio aliquo modo laeditur, cum exempli gratia defloratio cultro peragitur; aliquando etiam non nisi per generationem proles sine copula carnali destruitur, si semen receptum sit a femina sine carnali copula. Haec aliaeque in significando imperfectiones rationi signi in integro hymene

omnino non contradicunt. In causis matrimonialibus namque ad virginitatem moralem probandam persaepe, et quidem felicissimo cum eventu, ad hymenis integritatem recursus fit, ex quo patet hanc integritatem munere signi in societate humana et re ipsa et optime fungi. Quia a significatis ad signa nomina transferuntur, evenit ut sensu translato. improprioque hymenis integritas virginitatis nomen sortiatur, quae etiam virginitas physica dicitur. Reassumendo statuitur: virginitas sensu translato seu physica consistit in integritate hymenis, quae virginitatem moralem simplicem secundum communiter contingentia significat.

Ad problema huiusce quaestiunculae clarius circumscribendum opiniones recentiorum theologorum iuxtapositae iuvabunt, quae illustrationis gratia seliguntur. B. H. Merkelbach ¹⁾ virginitatem essentialem mentis a virginitate materiali corporis seu integritate carnis distinguit, quae sequenti modo de B. Maria affirmatur: „Virginitas corporis in B. Maria substitit: 1° ante partum, in ipso conceptu, quia non ex viro, sed sine viri semine concepit filium Jesum; 2° in partu, quia filium edidit, non violato, fracto, perforato aut lacerato virginitatis sigillo, et ideo ex utero clauso et obsignato, et a fortiori sine dolore...; 3° post partum, quia scil. post Christi Nativitatem ab omni viri consortio abstinuit,... immo nec mere accidentaliter integritatem carnis suae amisit”. Quam triplicem corporis virginitatem B. Mariae, scilicet ante partum, in partu et post partum, sine ulla haesitatione dogma fidei esse affirmat ²⁾. Virginitatem essentialem autem mentis autumat includi in immunitate B. Mariae a peccato et imperfectione, ipsum dogma de perpetua B. Mariae virginitate de sola materiali corporis virginitate intelligens. Virginitas autem in partu secundum laudatum auctorem duo prae se fert: a) sigillum virginitatis non violatum, non fractum, non perforatum, non laceratum; b) partum sine dolore. Hac explicatione insinuatur libertatem a doloribus parturiendi pari modo cum inviolato

¹⁾ Mariologia. Parisiis 1939, pag. 216.

²⁾ ibd. pag. 217.

sigillo in dogmate de perpetua virginitate icludi. Opinatur quidem non requiri in declaratione dogmatis praecise determinari, in quo sigillum illud virginitatis constituatur ¹⁾, affirmat tamen — in textu modo citato — sigillum inviolatum idem esse ac uterum clasum et obsignatum.

Clar. Gabr. Roschini ²⁾ distinguit etiam virginitatem mentis a virginitate corporis, „quae est integritas carnis numquam violata... (et) potius quam virtus est naturalis conditio in qua personae nascuntur”. Quamquam „Deipara semper et perfectissime virgo fuit, sive mente sive corpore” ³⁾ dogma ipsum perpetuae B. Mariae virginitatis de virginitate corporis modo definita a clar. Auctore intelligitur, cum hac tamen restrictione quod dogma ipsum ad virginitatem ante et post partum limitetur. Virginitas autem corporis in partu sine ulla certitudinis theologicae nota relinquatur.

In singulari campo clar. Alb. Mitterer ⁴⁾ militat. Isti principium est virginitatem in partu necessario eundem habere sensum atque virginitatem ante et post partum: ergo dogma de perpetua B. Mariae virginitate de morali seu essentiali virginitate intelligendum esse insinuat. Quodsi de corporali virginitate et corporali maternitate secundum contemporaneam biologicam non autem secundum mediaevales notiones physicas disputetur, ex principio supra posito — opinante clar. Auctore — sequitur integritatem hymenis ad virginitatem B. Mariae constituendam minime pertinere: si namque supernaturalis B. Mariae maternitas virginitati eiusdem secundum fidem non opponitur, eo minus opponi censendum est hymenis laesionem, quae multo arctius cum corporali veraque maternitate connectitur quam hymenis integritas cum vera corporali virginitate. Hymenis laesio est in lumine hodiernae biologiae certius signum perfectae in omni gradu maternitatis corporalis, quia arctius cum ea connectitur, quam hymenis

¹⁾ ibd. pag. 248.

²⁾ op. cit. pag. 240.

³⁾ op. cit. pag. 241.

⁴⁾ Dogma und Biologia der heiligen Familie. Wien 1952, pag. 98—129; praesertim, pag. 108, 122, 127 s.

integritas cum virginitate. Signa maternitatis autem eiusdem dignitatis sunt ac signa virginitatis. Non apparet proinde, cur signa verae perfectaeque maternitatis B. Mariae signis virginitatis eiusdem locum cedant. Ita videtur iudicandum de B. Mariae virginitate in partu secundum hodiernam biologiam, dum in mente s. Thomae haec virginitas quattuor miracula importat: peperit nempe B. Maria sine labore (parturiendi), sine aperitione, sine dolore, sine laesione. His duabus conceptionibus virginitatis in partu sibi invicem adversantibus — concludendo statuit clar. Auctor — theologorum exegetarumque erit investigare atque decernere, quo sensu virginitas in partu B. Mariae secundum fidem divinam catholicamque re ipsa conveniat.

Ex comparatione expositarum opinionum elucet primum problema, quod inferius solvendum erit: utrum scilicet physica virginitas B. Mariae in partu sit fidei dogma; quod Merkelbach affirmat, Roschini affirmare non audet, Mitterer sub lite ponit. Alterum problema huiusce quaestiunculae a clar. Mitterer enuntiatur: si probetur virginitatem physicam B. Mariae in partu ad doctrinam revelatam pertinere, quid praecise ad illam constituendam secundum revelationem divinam concurrat? Utrum consistat in sola hymenis intergritate an quattuor illas libertates importet, libertatem dico a labore, a dolore, ab aperitione, a laesione. Quia autem theologiae est non solum ostendere aliquam doctrinam revelatam esse, sed etiam demonstrare, quando, ubi et quomodo revelata sit, tertia quaestio naturaliter ex praecedentibus fluit: quomodo B. Mariae virginitas physica in partu in fontibus revelationis contineatur.

B. Mariae virginitas physica in partu erit dogma fidei, vel si ipsa expresse ab Ecclesia tamquam veritas fidei infallibiliter definita est, vel si continetur in perpetua B. Mariae virginitate tamquam veritas particularis in universaliore.

Sufficienter probari nequit ipsam physicam. B. Mariae virginitatem in partu umquam tamquam dogma fidei expresse definitam fuisse. Opinantur quidem plurimi auctores talem definitionem dogmaticam re vera datam esse a synodo Romana,

a. 649, sub Martino I, in canone tertio et in verbis Leonis Magni ex „tomo ad Flaviano”, approbato a patribus concilii Chalcedonensis. At neque circumstantiae historicae synodi Romanae anni 649 neque tenor ipse canonis tertii probant virginitatem physicam in partu hoc canone tamquam veritatem fidei definitam esse. Monotheletismi et monergetismi doctrina orbem catholicum Orientis turbante ipsi imperatores byzantini pacem religosam restituere conantes, edictis suis — Ecthesi et Typo — fidei puritatem periculo exposuerunt. Martinis I, ubi primum ad sedem Romanam euectus est, concilium Romam convocavit centum et quinque episcoporum Italiae, Sardiniae, Africae, et quorundam aliorum populorum. Oecumenicum ergo non erat hoc concilium. Agebatur tamen convocante, praesidente et inspirante ipso summo pontifice; ipso Papa ¹) in synodi exordiali oratione affirmante eo fine synodus haec celebrata est, ut finem imponeret illis circa fidem erroribus et aequivocationibus: ex quo liquet Martinum I suo munere supremi pastoris totius Ecclesiae fingi voluisse et per os synodi ultimam definitivamque sententiam de rebus fidei ferre. Ad exemplum Chalcedonensis concilii etiam ab hac synodo fidei symbolum promulgatum est contra monotheletismum et monergetismum. Quae considerationes citra ullum dubium ostendunt ea quae ab hac synodo contra monotheletismum et monergetismum acta sunt et in synodali symbolo continentur — quod praeter additamenta directa contra monotheletismum et monergetismum idem est ac Chalcedonensis definitio ²) — verae definitionis dogmaticae indolem habere, cum satisfaciant conditionibus necessariis ad infallibilitatem Romani Pontificis in rebus fidei a concilio Vaticano statutis (Dens. 1839). Quae conclusio confirmatur iis, quae post synodum acta sunt: synodi statuta cum litteris encyclicis in totum christianum orbem missa sunt, ut omnes doctrinam in iis propugnatam amplecterentur novosque heareticos damnarent; ipse Martinus I neque minis imperialibus neque vi

¹) Ofr. Hele — Leclercq, Histoire des conciles T. 3 pag. 334—451.

²) Mansi, Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio. T. 10 col. 1150 s.

cessit sed pro doctrina istius synodi vitam in exilio dedit, nihil retractare volens ex illis quae ibi definita erant.

B. Mariae virginitas in partu non enuntiatur in symbolo acclamato ab hac synodo sed in tertio inter viginti canones, qui symbolo additi sunt. Synodi Romanae intentio, quam symbolum adaequate expressit, erat — prout ex circumstantiis supra recitatis elucet — rectam fidem de operatione voluntateque Christi stabilire et profundius dogma Chalcedonense animis imprimere. Inevitabilis exinde sequitur conclusio synodum Romanam non intendisse virginitatem physicam B. Mariae in partu tamquam dogma fidei definire.

Idem sequitur ex tenore ipso canonis tertii, qui haec dicit: „Si quis secundum sanctos patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei Genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit” (Dens. 256). Relatus canon e duabus bene distinctis partibus construitur. Pars principalis Chalcedonensem inculcat confessionem Mariae Deiparae et ex circumstantiis historicis et ex ipso tenore dogmaticae definitionis vim habet. Sonat etenim: „Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam... condemnatus sit“. Virginitas in partu enuntiatur vero in secundaria parte, quae explicatio verbo „utpote“ introducit et verbis „post partum eiusdem virginitate“ clauditur. Haec secundaria pars explicativam proinde indolem habet. Et quidem explicat modum, quo secundum fidem Ecclesiae B. Maria effecta est Dei Mater. Non affirmat omnino ab omnibus ita credendum esse, sed dicit ita re ipsa credi. Haec explicatio, maternitatem et virginitatem B. Mariae simul tangens, non maiorem ergo habet certitudinis theologicae gradum ac fides Ecclesiae illius temporis; quae dogmaticam certitudinem non attingit, si de virginitate physica in partu agatur.

Neque ea, quae de virginitate in partu a Leone I in „tomo ad Flavianum” dicuntur vim definitionis dogmaticae acquisiverunt. Perlecta hac epistola Leonis coram Chalcedonensi concilio acclamaverunt Patres concilii per os Leonis Petrum Apostolum locutum fuisse, sed hac acclamatione noluerunt omnia et singula, quae in illa continebantur, ad dignitatem dogmatis evehere. Negotium concilii enim non agebatur de virginitate B. Mariae in partu sed de unitate personae et diversitate naturarum in Christo. Ipse etiam Leo in hac celeberrima epistola dogmatica non agit de virginitate in partu nisi secundarie et ad illustrandam doctrinam de unione hypostatica. Quod concilium et Romanus Pontifex definire intendebant, unionis hypostaticae natura erat, quae etiam re ipsa a concilio definita est. Approbatio data a Patribus concilii illis, quae obiter tangebantur — inter quae virginitas B. Mariae in partu — non ergo plus significat quam illa bene doctrinam revelatam exponere. Plurima autem ab Ecclesia proponuntur, quae recte doctrina revelatam exprimunt et inter dogmata non computantur.

Virginitas physica B. Mariae in partu non est definita, tamquam veritas particularis in universaliore, in illa sacrosancta pluriesque saeculari expressione: „Maria semper Virgo”. Locutio haec legitur quater in formulis, quae vim definitionis dogmaticae habent, in canone nempe decimo quarto concilii Constantinopolitani II a. 553, in canone tertio synodi Romanae a. 649, in capitulo „Firmiter” concilii Lateranensis IV, et in professione fidei a concilio Lugdunensi II Graecis proposita. Legitur etiam in 2 et 6 canone eiusdem concilii Constantinopolitani II, sed quia hi canones a Vigilio Papa approbati non sunt, vi infallibilis definitionis carent. Animadvertendum est expressionem „Maria semper Virgo” numquam factam esse obiectum definitionis dogmaticae in formulis, quae illam adhibent; ubicumque enim adhibetur non est praedicatum sed determinat subiectum propositionis, B. Mariam nempe, de qua aliae veritates vel definiuntur vel simpliciter praedicantur. Expressio tamen haec tam frequens, tam universalis, tam antiqua, tam solemnis est, ut recte concludere liceat in ea exprimi verum dogma stabilitum

a magisterio universali ordinarioque, quod perpetuam B. Mariae virginitatem collocavit inter principaliora capita doctrinae revelatae fidelibus tradendae. Quaerendum ergo est quo sensu sumenda sit perpetua virginitatis B. Mariae a magisterio ordinario affirmata in hac formula: semper virgo.

Locutionis „semper virgo” significatio a sensu pendet, qui tribuitur voci „virgo”. Qui triplex esse potest. Nam virginitas — ad mentem eorum quae supra in introductione dicta sunt — accipitur vel sensu proprio, et tunc significat virginitatem essentialem, moralem, vel sensu translato, et tunc designat virginitatem physicam, vel sensu praegnanti qui dicitur, et tunc sumitur pro virginitate essentiali simul ac physica. Triplicem hanc acceptionem virginitatis et universales regulae significandi admittunt et Traditionis documenta re ipsa adhibent, ut videri potest in verbis Leonis I e tomo ad Flavianum et in canone tertio synodi Romanae a. 649, in quibus vox „virgo” evidente triplicem illum sensum habet, nam in citato canone „semper virgo” sensu praegnanti sumitur, vox „virgo” autem hic physicam illic moralem virginitatem designat. Ideo ex ipsa occurrence expressionis „semper virgo” nihil concludere licebit, antequam praecise determinetur, qui ex illis tribus possibilibus sensibus tribuendus sit occurrenti lectioni. Quae determinatio duplici fieri potest medio: vi universali regularum significandi et vi contextus.

Vi universalium regularum significandi expressio „virgo” et „semper virgo” designat virginitatem proprio sensu seu essentialem moralemque, nisi contextus cogat ad alium sensum eligendum. Re ipsa etiam istae voces in documentis Traditionis ad solam virginitatem essentialem designandam saepe usurpantur. In symbolo Constantinopolitano legitur: „incarnatur est... ex Maria Virgine”. Saeculo quarto physica B. Mariae virginitas in partu neque inter veritates fidei computabatur neque universaliter admittebatur. „Ex Maria Virgine” in citato symbolo fidei nequit proinde virginitatem physicam in partu significare, sed de sole virginitate essentiali sumi debet. In symbolo dicto s. Epiphanii, quod in suo opere Ancoratus continetur, ad-

hibetur expressio „semper virgo”: „ex Maria semper Virgine per Spiritum Sanctum perfectus genitus, MARIAS TES AEIPATHENOY“. (Denz. 13). Sanctus Epiphanius sanctitatem B. Mariae extollit et multis argumentis scripturisticis apocryphisque probat B. Mariam post Christi nativitatem a relationibus carnalibus cum viro abstinuisse, de virginitate autem physica in partu ne unum quidem verbum sufflat, ostendens se illam ignorare vel respuere. „Semper virgo” apud illum non potest ergo significare nisi perpetuam virginitatem essentialē seu moralem. Quia ergo locutio „semper virgo” neque ex modo significandi neque ex historico usu cum perpetua virginitate physica B. Mariae coniungitur, concluditur negative in illa neque contineri per se neque tamquam dogma definiri virginitatem physicam B. Mariae in partu; infertur autem positive contineri in illa per se principaliterque perpetuam virginitatem essentialē seu moralem.

Utraque, positiva negativaque, conclusio adhuc magis fulcitur historia doctrinae de B. Maria virginitate. Iam secundo saeculo auctoribus christianis persuasum erat Christi conceptionem virginalem fidei veritatem esse. In hoc sensu iam Ignatius Antiochenus¹⁾, certissime autem et expresse Irenaeus Lugd. abundat²⁾. Quando isti auctores affirmant Jesum Christum „de virgine sancta natum esse”³⁾, significant Christum sine concubitu a Maria conceptum natumque esse et virginitatem Mariae de sola virginitate essentiali intelligunt. De virginitate physica sermo adhuc non fit et usque ad finem saeculi secundi expressio „Maria virgo” in dogmate catholico non nisi virginitatem essentialē moralemque importat. Haec de periodo prima.

Exeunti saeculo secundo ascribuntur prima testimonia de virginitate physica in partu, quae primitus in libris apocryphis inveniuntur, praesertim in Protoevangelio Iacobi quod in ea describenda realismum vere physicum exhibet. Hoc etiam

¹⁾ Smyrn. 1, 1.

²⁾ Adv. haer. 3, 21, 3—4.

³⁾ Aristides, Apol. 15.

tempore ab auctoribus agitabatur B. Mariae virginitas post partum, sub qua intelligebatur abstinencia a concubitu post Christum natum. Secunda haec periodus, quae ad paenultimum decennium saeculi quarti protrahitur, est, in qua neque virginitas in partu neque post partum ad dignitatem doctrinae catholicae fidelibus imponendae evecta est. Quod primus inter Patres fautor virginitatis physicae in partu initio saeculi tertii de suo tempore statuit, valet sine ullo dubio de tempore usque ad concilium Nicaenum inclusive: doctoribus christianis omnino pugnare licet tam pro virginitate in partu et post partum quam contra utramque. Virginitati physicae in partu hoc tempore adversantur: Tertulanus, Origenes, auctor opusculi „De recta in Deum fide”, Eusebius Caesaraeensis; dum praeter Clementem Alexandrinum inter Patres huius temporis certus eiusdem fautor vix invenitur. In secunda medietate saeculi quarti frequentiora semper fiunt testimonia de virginitate in partu physica, cui tunc temporis certe favebant: Ephrem Syrus, Amphiloichius Iconiensis, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Chrysotomus — in Oriente; inter occidentales huic sententiae asscribentur praesertim: Zeno Veronensis et Ambrosius Mediolanensis. Persuasio de virginitate in partu universalis adhuc non evenit, nam neque Alexander Alexandrinus, neque Cyrillus Hierosolimitanus — in celeberrimis suis Cathechesibus, — neque Epiphanius de illa mentionem faciunt.

B. Mariae virginitas perpetua post partum multo citius nacta est universalem assensum, ita ut post Nicaenum concilium quasi nullus allegari possit eiusdem notabilior adversarius praeter Eunomium Arianum. Sed virginitatis post partum assertores saepe confitentur opinionem hanc non esse inter veritates fide credendas; ita declarat Athanasius, Basilius Magnus, Chrysostomus.

Hoc historico contextu clarius fit verba symboli Constantinopolitani: „incarnatus est... ex Maria virgine” intelligi posse de sola virginitate essentiali ante partum. Neque quisquam contemporaneorum aliter hanc expressionem intellexit.

Periodus tertia incipit a synodo Mediolanensi a. 390. quod s. Ambrosio praesidente Jovinarum damnavit. In tertia hac et ultima periodo non datur amplius libertas disceptandi de virginitate B. Mariae in partu et post partum, sed utraque a magisterio Ecclesiae omnibus fidelibus imponitur. Jovinianus, virginitatem matrimoniali statui exaequans, B. Mariae virginitatem in partu denegavit. Synodus Romana sub Syricio papa damnavit eius assertionem virginitatem et matrimonium eiusdem esse dignitatis meritique ante Deum, silentio autem praterivit negationem utriusque virginitatis B. Mariae a Joviniano. Aut ergo haec negatio nondum proferebatur aut synodus nondum opportunum duxit decernere quidquam de hac doctrina, quae hucusque inter pura theologumena numerabatur. Quod synodus Romana omiserat, Mediolanensis a. 390 fecit, prout apparet ex epistola synodali „Recognovimus”, a s. Ambrosio scripta et ad Syricum nomine synodi missa: B. Mariae virginitatis physica in partu contra Jovinianum et affirmatur et exponitur tamquam veritas revelata a catholicis tenenda ¹⁾. Eodem ferme tempore Bonosius, episcopus Sardicensis in Illyria, virginitatem B. Mariae post partum negans, anno circiter 392. ab episcopis Illyriae damnatus est. Neutra haec damnatio definitionis dogmaticae vim obtinuit, eo vel magis quod nescitur, utrum Syricius cum Romana Ecclesia utramque virginitatem inter doctrinas catholicas numerandam esse putaverit. Concilium Ephesinum quod maxime contribuit ad augendam pietatem erga B. Maria in toto catholico orbe, adlaboravit etiam ad universaliter acceptandam doctrinam de virginitate in partu et post partum, quin ullum indicium adsit universalem hanc acceptionem definitionis dogmaticae vim obtinuisse, si de virginitate in partu physica agatur.

Leo Magnus asserit quidem in tomo ad Flavianum physicam virginitatem B. Mariae in partu, sed neque illi neque concilio Chalcedonensi mens erat eam dogmatis instar definire. Negotium siquidem non erat de B. Mariae virginitate sed de unionis hypostaticae natura definienda. Ex verbis Leonis elucet

¹⁾ PL — 16, 1125—1126.

tamen virginitatem physicam in partu tunc temporis non amplius inter theologumena computari sed inter veritates ad expositionem rectae fidei pertinentes. Omnino idem affirmandum est, prout supra iam probatum est, de valore canonis tertii synodi Romanae a. 649. E temporibus posterioribus non allegatur aequalis auctoritatis documentum. B. Mariae virginitas physica in partu bis adhuc expresse affirmatur, sed utraque affirmatio ad magisterium ordinarium et fallibile Romani Pontificis pertinet. Leo III professionem fidei acceptavit a Nicephoro, patriarcha constantinopolitano, a. 811 in qua legitur: Deus „virginem quoque quae supernaturaliter et ineffabiliter pepererat, post partum virginem conservavit, virginitate illius secundum naturam nulla ex parte demutata aut labafactata” (Denz. 314 a, nota 3). Paulus IV in constitutione „Cum quorundam”, anno 1555 damnavit eos qui asserebant B. Mariam non „perstitisse semper in virginitatis intergritate, ante partum scilicet, in partu, et perpetuo post partum” (Denz. 993). Etiam haec constitutio fallibilis magisterii de se est, nullamque definitionem dogmaticam dare noviter intendit.

Ex his quae historia doctrinae de virginitate in partu docet et ex documentis magisterii ecclesiastici, quae illam expresse tangunt, concluditur: Virginitas physica B. Mariae in partu non est nisi doctrina catholica theologicae certa; quia haec virginitas continetur in monumentis rectam fidem exponentibus, censenda est aequaliter certe revelata a Deo esse, quia divina fides de solis a Deo revelatis est.

Expressio „semper virgo” in documentis Magisterii bis tantum explicata est in sensu praegnanti, pro virginitate essentiali simul et physica: in canone tertio synodi Romanae a. 649 et in allegata supra constitutione Pauli IV. Neutra explicatio vim definitionis dogmaticae attingit. Ceteris vicibus sine ulla explicatione adhibetur; est ergo interpretanda secundum generales regulas significandi et historicum contextum. Secundum universales significandi regulas „Maria semper virgo” eundem omnino sensum habet ac „Maria virgo” et dicit omnino idem; sed expressius. Neque enim Maria posset nunc virgo nuncupari.

nisi usque ad mortem in virginitate permansisset. Vox „virgo” autem per se moralem significat virginitatem, nisi contextus aliter sumendum suggerat. Constat etiam ab auctoribus denominationem „semper virgo” re vera de sola essentiali virginitate saepe intelligi, ut probatum est in casu s. Epiphaniae. Accedit quod expressio „semper virgo” nullibi praedicati munere fungitur proindeque nullibi obiectum definitionis expresse fit, sed ad determinandum subiectum, B. Mariam, inservit. Usus huius expressionis tamen tam solemnem tamque constans frequensque est et in liturgia et in doctrinalibus decretis, ut ipsa haec constantia verum dogma in illa expressione situm esse indicet. Dogma erit, si sumatur in sensu, qui aequaliter frequens est ac usus istius formulae. Eadem autem frequentia secundum superius dicta attribui nequit nisi acceptioni istius locutionis pro virginitate morali essentialique. Quod de virginitate physica affirmari non potest.

Primum problema, quod solvendum erat, habet itaque responsum: dogma fidei de perpetua B. Mariae virginitate intelligendum est de virginitate essentiali. B. Maria nempé usque ad mortem abstinuit ab omni commixtione carnali. Virginitas physica in partu a Deo revelata quidem est et ad catholicam doctrinam pertinet, sed theologiam certitudinem non transcendit. Ex his deducitur revelationem divinam dupliciter affirmare virginitatem physicam B. Mariae. Doctrina de virginitate in partu dicit virginitatem physicam B. Mariae non fuisse corruptam per partum Jesu Christi, dogma autem de perpetua essentiali virginitate importat secum illam numquam fuisse corruptam per carnalem coitum. Non apparet, quo modo quidquam ulterius de virginitate physica B. Mariae affirmari possit cum fundamento in revelatione divina et exaggerationi cuidam asscribenda est opinio supra allegata B. H. Merkelbach, secundum quam B. Maria, „nec mere accidentaliter integritatem carnis amisit”. Faciliter namque apparet integritatem carnis non tangi nisi negative tam a perpetua virginitate essentiali quam a doctrina de physica virginitate in partu.

Sic ad secundam quaestionem huius opusculi manucti sumus: quid praecise concurrat ad constituendam virginitatem physicam in partu secundum doctrinam catholicam, quae revelata censetur. Quia sensus doctrinae revelatae quaeritur, ad documenta Magisterii recurrendum est, quae fidem exponunt in virginitatem B. Mariae in partu. In quibus primum tempore locum occupat memorata epistola synodalis „Retractavimus” s. Ambrosio scribente ad Siricium missa. Haec non limitatur ad doctrinam ipsam exponendam, sed illam diversis argumentis probat. Quia argumenta suadentia definitionem non sunt per se obiectum definitionis, considerandae sunt ideo affirmationes memoratae epistolae, argumentis posthabitis. Verba Ezechielis 44, 2 B. Mariae accommodans, s. Ambrosius scribit: „Quae autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quae manet clausa, et nemo, inquit, pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel... Haec porta est Beata Maria, de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, et erit clausa post partum; quia virgo concepit et genuit”¹⁾. Citatis verbis inculcatur uterum B. Mariae ita post partum clausum remansisse sicut et ante partum, per quod integritas hymenis sine dubio significatur. Paulo infra autem Mediolanensis affirmat: „contra usum naturalis originis peperit Maria et virgo permansit”²⁾. Ex hoc infertur ipsum etiam pariendi modum in Maria non fuisse naturalem sed miraculosum. E contextu sequitur supernaturalitatem partus in eo sitam esse, quod virginitatis physicae claustrum inviolatum permansit; ad nihil amplius in epistola synodali allusio fit.

Celeberrimus Leonis tomus ad Flavianum de virginitate in partu haec habet! „Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum matris virginis, quae illum ita salva virginitate edidit quemadmodum salva virginitate concepit... Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietates remota

¹⁾ PL 16, 1126.

²⁾ ibd.

sit generis. Fecunditatem enim virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est" ¹⁾. De essentia virginitatis in partu, in quo nempe consistat, Leo nihil determinans, asserens tantum illam, partu non obstante, salvam permansisse, generationem Christi mirabilem sigularemque dicit; sed supernaturalitatem hanc in virginali conceptione Christi iacere indicat, prout apparet ex explicativa constructione ultimae propositionis: „Fecunditatem enim...”. Canon tertius synodi Romanae a. 649 confitetur Mariam „incompactibiliter... genuisse”. „Incompactibiliter” idem est ac „sine corruptione virginitatis”. Non specificatur, quid in virginitate per partum corrumpti potest. Naturaliter tamen noscitur per partum per se et proprie corrumpti signa virginitatis, inter quae ante omnia hymenis integritas enumeratur. Allegatus canon ergo, quod minus est, incompactiorem hymenis per Christi partum certe significat. Professio fidei a Nicephoro Leoni III oblata affirmat partum Christi supernaturalem ineffabilemque ita fuisse, ut virginitas B. Mariae nulla ex parte labefactata sit. Ex his verbis elucet supernaturalitatem partus in eo sitam esse, quod signa virginitatis integra post partum in B. Maria permanent.

Ex monumentis Magisterii concluditur: ad explicandam fidem circa virginitatem B. Mariae in partu pertinet sine ullo dubio claustrum seu hymenis virginalis integritas. Magisterium Ecclesiae nihil praetera aliud quidquam requirit ad virginitatem B. Mariae in partu constituendam. Inculcatur etiam a Magisterio supernaturalitas in actu pariendi, sed etiam haec vel ad salvandam integritatem hymenis limitatur, ab Ambrosio. vel in conceptione virginali virtute Spiritus Sancti, a Leone. statuitur. Ista duo capita sola retenta sunt ab Ecclesia tamquam fidem rectam explicantia e multis, quae Patres de virginitatem in partu elucubrarunt. Hi enim non solum Traditionis testes erant sed etiam theologiam speculationem exercebant et non pauca, quae apud eos leguntur, non sunt nisi privatae theologicae opiniones hypothesesque. De stabilitatis

¹⁾ PL 54, 749.

modo duobus doctrinae capitibus concordēs sunt et quoad ista tantum munere testium Traditionis funguntur¹⁾. (19).

Duo enuntiata modo capita doctrinae proponuntur a Magisterio quasi ad explicationem rectae fidei pertinentia immediate et in se. Per modum theologiarum conclusionum admitienda erunt praetera omnia, quae cum illis duobus capitibus omnino inseparabiliter confunduntur et ex illis vi ratiocinationis deductivae inferuntur. Nam conclusio theologica illa sola est, quae e principiis revelatis mediante ratiocinio deductivo, syllogistico deducitur. Propositiones vero, ad quae a principiis revelatis pervenitur alia via quam per deductionem, non sunt conclusiones theologicae, sed hypoteticae explicationes theologicae; neque certitudinem plenam attingunt, sed probabiles tantum sunt, quia nituntur rationatione per analogiam vel reductiva, quae probabilitatem transcendere non valet; non includuntur logice in principiis revelatis sed solum realiter cum rebus revelatis connectuntur, ideoque formaliter revelatae dici nequeunt. His praelibatis ad particularia descendendum est.

Ante omnia quaeritur, quomodo secundum expositam supra doctrinam catholicam intelligenda sit non — aperitio uteri B. Mariae in partu. Siquidem Patres non raro de utero B. Mariae clauso post partum remanente loquuntur, nitentes verbis Ezechielis 44, 2, ut videri potest in allato supra loco s. Ambrosii ex epistola „Retractavimus”. Dubitationis locus nullus esset, si Patres clare et ubique expressissent, quid per claustra uteri intelligerent; nam clausio et aperitio uteri correlativa sunt et sese invicem explicant. Clarior explicatio verecundiae causa vix speratur et vix invenitur. Clemens Alexandrinus²⁾ virginitatem in partu clare in sola hymenis integritate sistit dum scribit: „Quidam dicunt eam postquam peperisset, inspectam ab obstetrice inventam fuisse virginem”. Aperitio uteri omnino idem illi est ac hymenis laesio. Hieronymus

¹⁾ De historia doctrinae virginitatis B. Mariae optime tractat G. Jouassard, *Marie à travers la Patristique. Maternité divine, virginité, sainteté* — in opere colectivo: *Maria. Études sur la sainte Vierge*. T. 1 Paris 1949.

²⁾ Stromata, 7, 16. PG 9, 529 s.

ex altera parte, ut doctrinam de virginitate in partu acceptabilem reddat, Christi nativitatem ex utero clauso transitu Christi post resurrectionem per portam clausam coenaculi illustrat: „Vultis scire, quomodo de virgine natus sit, et post nativitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, et ingressus est Jesus... Omnia clausa sunt, locus non est per quem intret; et tamen intus est qui intravit... Nescis quomodo factum sit, et das hoc potentiae Dei. Da potentiae Dei, quia de virgine natus sit, et tamen ipsa virgo fuerit post partum”¹⁾. Verba modo relata specietenus ostendere videntur Christum secundum s. Hieronymum eodem omnino modo corpus virginis matris nascendo mirabiliter penetrasse sicuti januam coenaculi post resurrectionem: sine ulla dilatatione vel naturali mutatione. Talis interpretatio esset tamen praeter mentem Hieronymi, qui non est in exponendo modum nativitatis Christi sed per magis notum ad acceptandum minus notum legentes inclinat: quicumque credit Christum ianus clausis intrasse, quamvis modus quo intravit sibi ingotus sit, debet etiam virginitatem Christi nativitatem acceptare, quae cognitionem excedit. Hanc esse genuinam Hieronymi mentem finalis propositio citati textus probat. Ambrosiana epistula synodalis „Recognovimus” etiam ad transitum Christi per clausam ianuam coenaculi recurrit inter argumenta cogentia ad acceptandam virginitatem B. Mariae in partu²⁾. De non — dilatatione membrorum in neutro classico textu legitur. Cum doctrina in citatis locis exposita dilatatio membrorum bene convenire potest, sicut infra melius patebit. Quamquam ergo ex his duobus praecipuis patristicis locis posteriores auctores non — dilatationem membrorum in partu deduxerunt, conclusio haec nequit patristicae doctrinae nomen acquirere, quia illegitime deducta est. Neque enim hac in re de consensu Patrum sermo esse potest, cum consensus ille tunc solum adest, si Patres expresse unanimiterque veritatem aliquam affirmant; in nostra vero quaestione

¹⁾ Epistola 48.

²⁾ PL 16, 1126.

locutiones Patrum in metaphoris merguntur, quae et alio scopo inserviunt et multiplicem interpretationem admittunt.

Quodsi apud Patres constans unanimesque huius quaestionis solutio expressa non adsit, recurrendum est ad doctrinam Ecclesiae supra stabilitam. Haec de sola incorruptione signorum virginitatis loquitur. Excludit propterea in organis generandi solas illas mutationes, quae irreversibiles sunt; mutatio namque a qua in statum pristinum naturaliter et physiologicè reeditur, corruptio dici non potest. Membra parturitione dilatata naturaliter post partum in statum pristinum redeunt. Ex quod ulterius concluditur non — dilatationem membrorum non posse signum fieri virginitatis, quia signum virginitatis perpetuae perpetuum natura sua oportet sit; similiter, et propter eandem causam, membrorum in partu dilatatio non significat virginitatem perditam. Quaestioni positae erit igitur responsio: revelata doctrina catholica illam solam membrorum in partu dilatationem in B. Mariae excludit, quae secum fert laesionem seu lacerationem signi virginitatis id est hymenis. Si quae membrorum B. Mariae dilatatio in partu vel naturaliter vel divina virtute hymen illaesum relinquit, cum doctrina revelata bene componitur et admitti potest.

Dolor parturiendi proverbialis est. Qui non solo naturalium meatuum dilatatione et laceratione causatur, sed maxima ex parte originem ducit ex illo non communi conatu et tetanica contractione musculorum, sine qua foetus numquam expelleretur; hic est dolor laboris parturiendi. Adest praeterea dolor consequens expulsionem foetus, a decisione foetalium membrorum causatus.

Adestne in revelatione divina sufficiens fundamentum, ut de B. Maria canatur: „peperisti sine dolore”? De doloribus partus in B. Mariae ex duplici capite disputari potest, ex principiis universalioribus dico, et ex parte virginitatis physicae in partu. Ex generali doctrina constat, primo, B. Mariam re vera dolori passionique subiacuisse in hac vita, quippe quae secundum Simeonis prophetiam (Lc 2, 4) sit effecta dolorosa mater patientis Redemptoris. Constat etiam effectum redemp-

tionis Christi in membris corporis mystici in hac vita sese ad effectus morales extendere atque liberationem a triplici servitute — peccati, mortis et satanae — importare. Libertas a doloribus passionibusque huius vitae nullibi a revelatione divina includitur inter effectus redemptionis Christi. Quamvis perfectissime redempta, nequivit B. Maria a redemptione Christi illa mutuare, quae in ea non continebantur. Sicuti ergo B. Maria sustinuit labores doloresque huius vitae, impositos in paradiso his verbis: „In sudore vultus tui manducabis panem”, sustinere etiam potuit — et sustinuit — propter eandem rationem dolores quosdam partus, ad quos referuntur illa verba: „In dolore paries”. Nam dolores partus eandem relationem dicunt et ad peccatum originale et ad redemptionem Christi.

Neque ea, quae doctrina Ecclesiae de virginitate in partu asserit, doloribus partus in B. Maria obstant. Documenta namque Magisterii de hac re tractantia, nullibi de libertate a doloribus partus loquuntur. Neque Patres umquam hanc libertatem expresse statuunt; quae non est nisi posterioris temporis theologorum conclusio. A doctrina Ecclesiae communique Patrum consensu non postulatur nisi libertas ab illis tantum doloribus partus, qui inseparabiliter cum laesione signaculi virginitatis coniunguntur tamquam effectus cum sua propria causa. Si qui dolores a laesione hymenis in partu non causantur et ab illa vel realiter separantur vel virtute divina separari possunt, cum revelata doctrina de virginitate in partu bene componuntur neque ex hoc capite reici possunt. Concludendo statuitur thesis: virginitas in partu non postulat omnimodam libertatem B. Mariae a doloribus partus.

Huic thesi sequens additur positivum complementum: quidam dolores partus in B. Maria admittendi sunt, quia et a ratione verae maternitatis postulantur et cum virginitate physica in partu componuntur.

Ad rationem verae perfectaeque maternitatis physicae pertinet activus labor corporis materni, quod summo conatunitur prolem, quam gestabat, foras expellere. Activa haec cooperatio ad expellendum maturum foetum tempus gestatio-

nis naturaliter claudit. A virginitate physica hic parturiendi labor de se non excluditur, quia ab ea realiter distinguitur et insuper alterius omnino ordinis est. Neque ipsum evangelium Lucae 2, 7 nativitatem Christi describens laborem parturiendi excludit: „peperit filium suum primogenitum — legitur ibi — et pannis eum involvit et reclinavit in praesepio”. Evangelisia laconice affirmat B. Mariam ipsam per se infantem noviter natum et pannis involvisse et in praeseptio posuisse. Labor parturiendi communiter tam magnus est, ut parturientes exhaustis viribus communiter adminiculo obstetricum in his actionibus utantur. Non est tamen ita magnus ut parturientes omnino semperque physice impotentes reddat ad eas obeundas. Nam M. — J. Lagrange ¹⁾ casum describit mulieris Betlehemitae, que ligna quaeritans parturivit et ipsa lignis onerata infantem natum domum retulit; casus non dissimiles narrantur etiam de aliquibus iuvenibus matribus ruricolis ex Europae diversis regionibus. Involutio pueri Jesu pannis et repositio eiusdem in praesepio a parturiente matre physica ergo possibilis dicenda est, etiamsi admittatur illam in pariendo vere laborasse, eo vel magis quod utraque actio B. Mariae multo minorem conatum requirit quam lignorum portatio ab illa muliere Betlehemitana de qua supra. Textus ergo s. Lucae libertatem a labore pariendi neque expresse affirmat neque necessario postulat. Libertas a labore doloreque partus non est nisi hypothesis theologica ad meliorem explicationem narrationis Lucanae adinventata, sed in sensu eiusdem narrationis non continetur, perindeque revelata in hoc textu dici nequit. Ad explicandam absentiam obstetricis in Christi nativitate alia etiam praeter allatam hypothesis theologica proponi potest: nulla ibi obstetrix ideo fuit, ut a Christi nativitate omnis indiscreta curiositas excluderetur, prout bene scribit-citato loco M.—J. Lagrange; ut Christus omnia materna officia immediate a sua matre haberet; ut B. Mariae maternitas, per quam hominum mediatrix exstitit, omni ex parte perfectior fieret. Nulla ergo theologica ratio cogit ad excludendum parturiendi laborem in B. Maria.

¹⁾ *Evangile selon Saint Luc*, Paris 1948, pag. 71.

E contra, parturiendi labor theologica ratione directe postulatur: physica B. Mariae maternitas gratia Dei est. Quae nisi ob culpam hominis, numquam imperfecta est. Ad perfectionem verae physicaeque maternitatis ita labor parturiendi pertinet sicuti etiam gestandi onus. Labor parturiendi proinde citra ullum dubium admittendus est in B. Maria, quippe quae ab omni culpa immunis per totam vitam fuit. Tam miro modo diversa B. Mariae privilegia inter se connectuntur, ut mediante personali eiusdem sanctitate ad stabiliendam qualitatem eiusdem partus perveniatur. Labor parturiendi in B. Maria habet ergo rationem verae conclusionis theologicae e duabus praemissis revelatis, ex B. Mariae maternitate supernaturalis et eiusdem sanctitate personali.

Naturalis actus pariendi complementum suum habet decisionem emissionemque membranarum foetalium. Quae decisio emissioque, quia ad rationem physicae maternitatis pertinet, similiter tamquam conclusio theologica admittenda est.

Laborem parturiendi dolor consequitur ab eo causatus; decisio membranarum foetalium similiter dolorem quendam causat. Quidam ergo dolor consequitur rationem physicae maternitatis tamquam effectus suam causam. Posita causa effectus etiam eiusdem per se ponendus est, nisi impedimentum aliquid interveniat. Nullum autem in revelatione divina impedimentum noscitur, quod dolores partus a B. Maria omnino excludat: de libertate B. Mariae a labore et dolore pariendi silent documenta Traditionis virginitatem aius spectantia; ad normam generalis principii supra statuti, dolor in B. Maria admitti potest; labor pariendi denique et dolor ab eo causatus, itemque decisio membranarum foetalium et dolor exinde proveniens realiter a physico virginitatis signo eiusque laceratione realiter distinguuntur ideoque cum illaesa omnino virginitate physica coexistere possunt. Excluditur ergo in B. Maria solus ille dolor, qui a laceratione virginalis signaculi provenit, omnis autem alius dolor ab actu pariendi causatus admittendus est per modum ulterioris conclusionis theologicae.

Quaestio secunda dissertationis, quae praesertim opere clar. A. Mitterer occasionabatur, habet itaque solutionem longe diversam ab illa, quam citatus initio B. H. Merkelbach cum plurimis auctoribus propugnabat: fontes revelationis nihil amplius docent quam virginitatem physicam B. Mariae in partu et eiusdem partus supernaturalitatem consistere in hymenis integritate salvata. Per modum conclusionis ex hac doctrina sequitur illius tantum doloris partus exclusio, qui a laceratione hymenis causatur. Labor vero pariendi et dolor pariendi, qui non causatur a virginalis signaculi laceratione sed rationem physicae maternitatis consequitur, in B. Maria non solum a doctrina Traditionis non excluditur verum etiam admittendus est vi alterius conclusionis theologicae.

Conclusiones theologicae huiusque opusculi non ideo a vetustiore theologia discordant ac si haec falsis notionibus physiologicis niteretur, sed quia doctrinam Traditionis de virginitate in partu vel imperfecte admodum noverat del imperfecte ponderavit. Causa diversitatis proinde longe alia est ab illa, quam A. Mitterer insinuat.

Explicato quid in doctrina revelata de virginitate B. Mariae in partu includatur quidque non includatur, ad tertiam quaestionem procedendum est: quomodo scilicet et ubi revelata sit a Deo B. Mariae virginitas in partu.

Ipsa natura huius mysterii res verecundiores tangentis citra ullum dubium indicat mysterium virginitatis in partu tam in Scriptura quam in Traditione non fuisse a Deo explicite revelatum, sed implicite in aliis veritatibus revelatis contineri. E. S. Scriptura duo solent ab auctoribus citari loci ad virginitatem in partu probandam, Luc. 2, 7 et Is 7, 14. De textu Lucano supra iam sermo erat. Expresse et immediate narratur ibi, quid B. Maria post Christum natum ipsa per se egerit. Ex his actionibus B. Mariae — involutione pannis et reclamatione pueri nati in praesepio — concludi posset primo libertas a labore pariendi et per hanc ulterius libertas a dolore et integritas carnis, si naturalis labor et dolor pariendi talis esset, ut physice ad has actione impotentes semper reddat pueperas. Quod affirmari ne-

quit. Per consequens textus Lucanus non revelat nobis virginitatem B. Mariae in partu.

Ad prophetiam Is 7, 14 iam in epistola „Retractavimus” s. Ambrosius recurrit, ut probet virginitatem B. Mariae in partu doctrinam revelatam esse; idem non raro faciunt moderni scriptores dogmatici. Exegetae tamen in hac prophetia non vident nisi conceptionem virginalem Christi. „Ecce virgo concipiet et pariet filium” scribit Isaias. Huiusce propositionis constructio grammaticalis, ad quam auctores recurrunt, non postulat virginitatem physicam parientis in partu, quamvis habeatur vi eiusdem constructionis: „Virgo... pariet filium”. Cum etenim duorum praedicatorum, concipiet et pariet, unicum sit subiectum, unicum sensum habeat necesse est. Certum est autem locutionem „virgo concipiet” significare libertatem a commixtione carnali seu virginitatem essentialem tantum. Vox „virgo” proinde subiecta secundo praedicato, pariet, non significabit nisi virginitatem essentialem parientis. Haec concluduntur ab exegesi apologetica; praeter quam datur etiam exegesis theologica. quae in explicando sensu S. Scripturae adminiculo revelations divinae utitur. Sed neque exegesis theologice tractata hunc Isaias locum ad virginitatem physicam trahit. Nusquam etenim his locus in ceteris locis Scripturae de virginitate physica in partu explicatur. Neque hodierni temporis neque patristica traditio unanimes est in explicando hoc textu de virginitate physica. Unanimes quidem consensus Patrum et theologorum criterium certum est locum S. Scripturae illum sensum habere, qui unanimiter illi attribuitur, sed criterium hoc non applicatur nisi quando de vera explicatione textus scripturistici agitur, non autem applicari potest accomodationibus textus inspirati ad alias res. Hodierni exegetae non vident in prophetia Is 7, 14 nisi conceptum virginalem Christi praedictum, hodie itaque deest certissime unanimitas in explicando hoc textu de virginitate in partu. Defuit etiam tempore Patrum: deerat certissime quousque virginitas physica in partu nondum universaliter admittebatur; deerat etiam tempore S. Ambrosii prout testificat silentium s. Hieronymi eximii interpretatoris S. Scripturae, qui

tamen expresse de hac veritate scripsit; deerat etiam tempore, quo virginitas in partu iam universalis Ecclesiae doctrina catholica effecta est, sicut elucet e s. Anastasio Sinaita confitente nullum locum S. Scripturae sufficere ad hanc virginitatem probandam ¹⁾. Ex his omnibus concluditur nullum dari argumentum quo probetur Is 7, 14 de virginitate physica in partu intelligendum esse. Quia autem Es 44, 1 non nisi accomodato sensu B. Mariae applicatur, universaliter concluditur virginitatem in partu non contineri in S. Scriptura implicite ita, ut vi exgeoseo apologeticae theologicaeque erui probarique possit.

Alius ergo revelationis modus quantum ad hanc quaestionem admittendus est, qui solus possibilis remanet spectata natura argumentationis patristicae hac de re. Fautores patristici huius veritatis quasi unice argumentis scripturisticis utuntur, quae tamen invalida esse probatum est. S. Ambrosius omnium primus recurrit ad argumentationem vere theologiam, deducens virginitatem in partu ex universaliore principio revelato, e conceptu dico virginali Christi seu ex virginitate B. Mariae ante partum, dum in notissima epistola „Retractavimus” scribit: „Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare; cum semper conceptus precedat, partus sequatur?” ²⁾. Ipse tenor istius argumenti probat doctorem Mediolanensem non meram convenientiam in illo vidisse sed argumentum stringens. Immediate quidem prout iacet allegatur ad possibilitatem virginitatis in partu admittendam, logice tamen stringit etiam ad ipsum factum virginitatis in partu concedendum. Posthabitis argumentis convenientiae, quibus posteriores theologi copiose utuntur, ad argumentum Ambrosianum revertendum est propter duo, probabile est ad illud ab initio fautores virginitatis in partu recurrisset; illud argumentum etiam prodit nobis principium revelatum in quo virginitas in partu implicite continetur.

Ut strictam deductivam demonstrationem theologiam constituat, argumentum Ambrosianum essentialibus complementis eget, nam prout iacet non continet nisi principium proprium

¹⁾ Viae dux, 1. PG 89, 40.

²⁾ PL 16, 1125.

conclusionis — conceptionem virginalem — principium universale — ratio effectus sequitur rationem causae — et ipsam conclusionem. Omittit omnes praemissas intermedias ita, ut diversimode interpretari possit. In minus felici interpretatione argumentum istud relinquit strictam metaphysicam deductionem, utitur realibus connexionibus physicis et ducit ad conclusionem, quae virtualiter revelatum et probabile transcendere numquam potest. Duae vero ad minus dantur interpretationes essentialiter inter se diversae, in quibus e principiis Ambrosii ope rigorosae deductionis virginitas in partu theologice demonstratur.

Argumenti Ambrosiani interpretatio prior sonat: explicite revelatum est B. Mariam supernaturaliter ope Spiritus S. concepisse, ergo virginalis conceptio rationem gratiae habet. Sed partus conceptionis effectus est, effectus autem rationem causae consequitur. Ergo etiam partus totaque maternitas physica B. Mariae gratiae divinae rationem habet. Gratia non destruit sed elevat naturam. Ad physicam constitutionem corporis feminei physica virginitas pertinet. Partus B. Mariae proinde non destruxit eiusdem virginitatem physicam seu B. Maria fuit virgo in partu.

Eiusdem argumenti altera interpretatio deductiva habet: Deus summa primaque veritas est. Non potest itaque per se erroris causa sua actione esse. Deus Spiritus S. causa est miraculosa non solum virginalis conceptionis Christi sed eiusdem etiam nativitatis e Maria, quia partus est effectus conceptionis et causa causae etiam causa effectus sit oportet. Si Christi nativitas virginalis signum in B. Maria corrumpere deus ipse proinde esset istius corruptionis causa per se. Sed corruptio virginalis signaculi in partu secundum communiter contingentiam amissionem virginitatis essentialis in actu concipiendi significat. Corruptio haec in B. Maria eo magis virginitatis essentialis amissionem significaret, quod Maria vinculo matrimoniali s. Joseph iuncta erat et ius ad actus coniugalis vitae matrimonium acquisiverat, ex quibus simul et conceptio prolis et amissio virginitatis essentialis sequitur. Deus itaque in hoc casu significaret per se virginitatem essentialem B. Mariae in conceptione

Christi corruptam esse, dum tamen ab eodem Deo revelatum est B. Mariam in conceptione Christi virginem essentialiter fuisse. Eadem itaque virtus divina, quae nativitatis Christi propria causa fuit, virginale signaculum B. Mariae in actu pariendi illibatum conservavit seu B. Maria fuit virgo in partu.

Ambo argumenta conveniunt in hoc, quod vere deductiva sunt et ex eodem principio revelato procedunt, e virginali nempe conceptione Christi seu e virginitate B. Mariae ante partum. Differunt vero ab invicem, quia ad diversas recurrunt praemissas, et revelatas et rationis, ut ex communi principio revelato virginitatem in partu deducant. Praemissae revelatae solae ad virginitatem in partu concludendam non sufficiunt, sed in utroque argumento recursus necessario fit etiam ad praemissas a ratione humana mutuatas: virginitatem physicam ad constitutionem naturalem corporis reminei pertinere et corruptionem virginitatis physicae per se et secundum communiter contingentia amiissionem virginitatis essentialis significare.

Ex utroque argumento sequitur virginitatem B. Mariae in partu esse conclusionem theologicam proprie dictam. Sed conclusiones theologicae proprie dictae ad veritates pertinent, quae proprie et formaliter revelatae sunt: nam non pauca dogmata non nisi per modum conclusionis theologicae proprie dictae revelatae sunt; recenter etiam definitum dogma Assumptionis B. Mariae hoc modo re ipsa a Deo revelatum est. Sunt autem conclusiones theologicae proprie dictae a Deo revelatae formaliter implicite vi significati formalis illius veritatis, a qua deducuntur.

Tertia huius articuli quaestio habet itaque responsionem: virginitas physica B. Mariae in partu est a Deo revelata formaliter implicite vi formalis significati Christi conceptionis virginalis seu virginitatis B. Mariae ante partum. In hac veritate revelata formaliter implicite continetur et ex illa ope ratiocinationis deductivae eruitur.

Ex ambobus argumentis deductivis pro virginitate in partu apparet etiam, quid de naturalitate vel supernaturalitate ipsius partus sentiendum sit. In responsione ad primam opu-

sculi quaestionem ostensum est doctrinam Ecclesiae non loqui nisi de illa supernaturalitate partus, quae incorruptionem signaculi virginalis prae se fert. Ex memoratis argumentis sequitur autem omnia omnino phaenomena in nativitate Christi, quae essentialiter quoad rem naturalia sunt, causaliter supernaturalia esse, cum primam causam habeant actionem supernaturalem Dei in virginali conceptione Christi.

Scientiae est non solum factum probare, sed etiam factum probatum explicare reducendo illud ad proprias causas. Exposito sensu doctrinae catholicae de virginitate in partu appendicis instar pauca dicenda remanent, quo modo secum conciliari possint et nativitas Christi et B. Mariae virginitas in partu. Communis theologorum opinio affirmat Christum via naturali natum esse hoc modo, quod corpusculum nascentis miraculose membra matris penetravit sine ulla eorum mutatione, dilata-tione vel laceratione, sicut post resurrectionem ianuas clausas coenaculi penetrando vi dotis subtilitatis pertransibat. Explicatio haec originem historicam in dictis Patrum habet.

De hac communiter recepta explicatione animadvertendum est, primo, illam non esse ortam per viam deductionis neque conclusionis theologicae rationem habere. Est haec explicatio hypothesis theologica, ad quam perventum est vi ratiocinationis reductivae similis illi, qua utuntur hypotheses in scientiis particularibus experimentalibusque. Ex hoc sequitur hanc theologiam hypothesis non esse certam sed probabilitate quadam tantum gaudere, quia patet cum doctrina revelata aequae bene vel etiam melius stare posse alias etiam hypotheses. Communiter recepta hypothesis denique, quae quantum ad nativitatem Christi docetismum quendam sapit, tunc solum iustificatur, si ponatur B. Mariam liberam fuisse ab omni labore doloreque partus.

Quia autem labor et quidam etiam dolor pariendi in B. Maria admitti, ut probabatur, debent non solum possibilis immo etiam probabilior videtur alia theologica hypothesis: omnia phaenomena partus in nativitate Christi, tam ex parte nascentis quam ex parte parturentis naturalia quoad rem

erant, omnipotentia divina conservante virginale signum in B. Maria ab omni laesione. Secunda haec hypothesis duo prae prima habet: omnem docetismi speciem in nativitate Christi vitat neque ad omnipotentiam divinam recurrit ultra id quod omnino necessarium est.

Virginitas physica B. Mariae in partu non est hodie inter doctrinas, de quibus *studiose disputetur*, pertinet tamen ad depositum fidei ideoque theologicè elaboranda erat. Quia recepta hucusque elaboratio et quantum ad conclusiones et quantum ad methodum insufficientis erat, operae pretium certe fuit novam elaborationem egredi, eo vel magis quod in hac nova laboratione recta methodus theologica multiplici modo illustrari potuit. Quod huius articuli principalius intentum est.